


Google





QUAESTIONES PERSIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE XXVI. MENSIS MAII A. MDCCCLXXIII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

FRANCISCUS SCHUMACHER,
RHENANUS AQUISGRANENSIS.

MONASTERII,
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA ASCHENDORFFIANA.
MDCCCLXXIII.



R. D.

IOSEPHO SCHUMACHER

PATRUO SUO CARISSIMO

S. E. V.

SCRIPTOR.

Praefatio.

Persi satirae quot difficultatibus quantaque obscuritate laborent, non est, quod moneam. Itaque nunquam defuerunt, qui illis expediendis operam navaverint, atque etiamsi concedendum est, viros doctissimos multis quidem locis, quorum difficultates unquam quemquam superaturum esse omnes, qui Persium noverant, antea paene desperabant, felicissimam medicinam adhibuisse, tamen tot adhuc exstant loci, quos illustrare itaque explicare, ut futura in eandem rem tentamina prorsus supervacanea sint, homini, etiam maximi ingenii eximiae laudi sit. Quamvis igitur huius rei consideratio tironem a Persi studio facile deterrere possit, cum fructus istorum studiorum parvulos tantummodo fore appareat, tamen mihi non dedecori tribui posse arbitror, si in hoc tanto labore quid vires meae valeant periclitatus sum. Integro enim neque praeoccupato iudicio ad Persi satiras accedens hoc mihi proposui, ut nonnullas quaestiones adhuc non satis explanatas retractarem atque, ubi viri docti in diversas sententias abiissent meam sententiam breviter exponerem. Itaque semper consilii scriptoris, rerum et verborum nexus, ususque loquendi diligenter rationem habui utque novi aliquid proferrem spectavi.

Idcirco non magnopere vereor, ne, si tantum laborem suscipere coner, aut in odium illorum incidam, quorum iudicium tali negotio magis par sit, aut prorsus inutilem rem in disceptationem vocasse existimer. Sin vero nihilominus hae quaestiones a viris doctis leviores iudicatae fuerint, me in literis adhuc minus exercitatum veniam ab illis impetraturum esse confido.

Quaestio I.

De prologo.

Priusquam ad quaestionis quam hic explicare in animo est summam accedamus, de controversia illa, quae iam ante Casauboni aetatem inter viros doctos exorta est, hicne prologus revera a Persio Flacco originem duxerit, pauca ante nobis disserenda visa sunt. Neque mirum est, de hac quaestione disputari posse, utpote quae certe res sit valde memorabilis, quod poeta nullius eiusdem generis scriptoris exemplo ductus libro satirarum prologum hunc praemisit, imprimis vero quod eum non versu heroico, qui satirae familiaris est, composuit, sed prorsus diverso metri genere, trimetro iambico claudo. Verumtamen eiusmodi argumenta, si planius illustraverimus, non tam gravia esse apparebit, ut hos versus ab ipso Persio abiudicare cogamur. Atque primum quidem nullum exstat veterum testimonium, quod alium indicet huius prologi auctorem quam Persium, quae si dubitatio in antiquitate iam exstitisset, vel in vita vel in scholiis huius rei mentio certe facta esset. At nusquam huius dubitationis vestigia invenimus. Praeterea omnes codices (praeter unum W 2; cf. Iahn. edit. mai. p. 3.) prologum exhibent ex veterum librariorum more titulis additis, qui eum clare atque perspicue Persio tribuunt. Eiusmodi subscriptiones e codicibus typis exscriptis desumptas — e manuscriptis non licebat, — Hauthalius (Persi satir. ed. Lipsiae, 1833. p. 3.) affert, veluti Parisini (*P*):

> „Auli Persi Flacci in satirarum librum prologus constans metro iambico trimetro."

Sunt etiam, qui voce prologi omissa hos versus cum heroicis qui sequuntur continuent, qua re eodem iure illos trimetros Persio adscribendos esse demonstrant atque primae satirae versus.

inchoatum poetam dicas ut non penitus ἀνείςακτον, ita assistentem adhuc in cortina, et tantum ἀκροθιγῶς ἁψάμενον ιοῦ λέβητος. Quae modestia arrogantiae poetarum μουσοπατάκτων sui temporis satirice opponitur.“ Sed desideramus in his, quae in universum placent, explicationem ipsius vocis „semipagani“, a cuius primaria significatione proficiscamur necesse videtur. Heinr. (p. 70.) explicat ita: „Pagus, die Heide, wird eigentlich die Gegend Italiens genannt, welche ausserhalb der nächsten Umgebung Rom's liegt; pagani, die Bewohner des pagus, genereller als rustici, besonders im Gegensatz zur bewaffneten Macht . . . . Die pagani waren meist rohe, ungebildete, nicht urbane Leute. Persius nennt sich einen semipaganus im Gegensatz zu den vielgepriesenen Dichtern, die sich sogar vates nannten.“ Heinr. igitur semipaganum simplicissime accipit pro semirustico, ut verbo utar, neque videt, hanc vocem non solum per se esse intellegendam, sed potius referendam etiam ad verba „sacra vatum“, quod si feceris, multo ingeniosior existet explicatio, quam exhibet Iahn. ed. mai. p. 76.):

„Pagani dicuntur, qui eiusdem pagi sunt: hi vero communia habent sacra, quorum insigni ratione mentio fit apud Dion. Halic. IV, 15. et apud Ovid. fast. I, 669. Qui ergo veri poetae sibi videntur, ii ut pagani communia sacra celebrant, quibus se totum Persius adnumerare non audet, ad vatis et poetae perfecti nomen haud quaquam adspirans.“ Multa igitur irrisione hic poeta de se ipse dixit, qualia etiam Hor. sat. I, 4, 39. de suo poesis genere pronuntiavit:

„Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.“

Alterius iam prologi partis argumentum hoc est: „Fieri potest, poeta inquit, quemadmodum usus docet, ut aliquis carmina scribat longe alia re quam a musis instinctus; nam fames, ut hoc utar, quae aves ipsas humanam vocem imitari docet, mirus est artifex, et auri spes non dici potest, quam praeclaros versus interdum extorqueat.“ Invehitur Persius in suae aetatis turpissimum ex poetae ipsius iudicio vitium. Iam enim temporibus divi Augusti, praecipue imperatorum, qui eum secuti sunt, artes *et studia maiore ex parte* quaestus vel commodi causa colebantur,

favorque principum potissimum nobiliumque Romanorum ab omnibus fere illius aetatis poetis studiosissime quaerebatur. Quemadmodum autem unaquaque aetate certa studia inveniuntur, quae praecipue magisque quam omnia reliqua florent atque amantur, ita cum Persius in vivis erat, Neronis aetate, opera epica, lyrica, scenica Romae erant, quibus favor principum parari posset, satiris nemo divitias, nemo gratiam volgi nobilis assecutus est. Quod haud ignorans atque indignatione in tantam poetarum perversitatem et humilitatem plenus acri satirae aculeo perstringit hic Persius illos, qui auri sacra fame ad carmina pangenda incitarentur. Iam videmus etiam duarum partium inter se cohaerentiam: „Etiamsi ego, poeta inquit, non sum magnus poeta, ut vates illi de se praedicant, tamen nunquam ne nostra quidem aetate magni poetae deerunt, quia nihil exstat praestantius, quod tales excitare possit, auro." Ceterum perbene Casaubonus (p. 12.) in universum de huius prologi argumento disseruit, cuius verba addere liceat: „Satiras suas Persius Apollini Palatino vel aliis literarum praesidibus diis affert, non tamquam opimam victimam, sed veluti donarium λιτὸν, a magna quidem voluntate, sed viribus modicis profectum. Singularis modestiae est, quod negat se poetam quodque se ad tantam gloriam ne aspirare quidem fatetur, et praemia poetis debita aliis aequo animo relinquere; imo contemnit et irridet aequales poetas, qui ubique musas ambitiose crepabant, subito tamquam Ennius, sive potius praeter exspectationem poetae facti et clientum insanis laudibus elati, ut alienissimum se esse a fastosa hac magnificentia Persius significet."

Argumento planius exposito, quid Persius prologo praemisso voluerit, quoque sit referendus, iam spectemus. Quatuor a viris doctis ad hanc quaestionem opiniones prolatae sunt, quas, quo clarior res unicuique fiat, deinceps perscrutemur. *) Inter quas vetustissima est illa, prologum ipsum esse satiram, sexque satiris quae sequantur hanc septimam adiiciendam. Nituntur qui huic opinioni adhaerescunt, auctoritate etiam nonnullorum codi-

---

*) Passowi sententiam: „Es ist wahrscheinlich, dass Persius hier die pomphaften Exordien zweier damals beliebten schlechten Gedichte, entweder mit ihren eigenen Worten sich gegenüberstellt, oder parodirt", etsi ingeniosa videtur, tamen, quod nullo omnino nisi verisimilitudinis argumento fulcitur, silentio praetermittendam censuimus.

cum, qui septem satiras numerant. At ex omnibus haec maxime videtur reiicienda. Quod quidem ad argumentum attinet, aliquo modo quis ad hanc opinionem comprobandam facile adducatur, quippe quod, si irrisionem, qua utitur Persius in veteres vates, in se ipsum inque poetas sibi aequales, spectes, perbene materia satirae esse possit. Attamen iam hoc altera ex parte suspicione quadam non caret, quoniam ipso in prologo ex more uniuscuiusque prooemii excusationem quasi profert Persius, cur studiorum rationem et suscipiat et ingrediatur, ac brevibus verbis designat et denotat, qua conditione quoque temporis momento satiris scribendis operam navare inceperit. Quae in universum a poeta dicta satirisque praemissa certe ut prologi cuiusdam verba sonare negari non potest. Sed his praetermissis maxime haeremus in horum versuum qua scripti sunt forma. Ex Horati enim temporibus, qui primus satirae antea rudi atque incultae certam formam dedit, Latinorum poetarum, qui in satiris componendis versati sunt, carmina uno eodemque scripta sunt metro, videlicet heroico versu hexametro, neque unquam quis ab hoc rhythmo usu ac consuetudine sancto recessit. Quomodo igitur Persio in mentem venerit, unam satiram choliambis pangere, praesertim cum ceteras hexametris enuntiaverit? Ad prologum vero alio metro uti multo magis licebát.

Non multo plus quam prima illa opinio probabilitatis habet altera, quam invenisse Heinrichio honori, si quidem est, tribuere debemus, qui (p. 67.) mirum esse dicit, quod adhuc nemini in mentem venerit, pàrtes prologi unam ab altera omnino esse seiungendas; imo vero parva fragmenta libelli alicuius ipsius Persi manu conscripti esse, quae casu in unum carmen confluxerint. Nititur et ille, ni fallor, diverso metro eoque, quod cohaerentia inter duas carminis partes primo adspectu nulla videtur esse. Sed et hanc sententiam nullis firmis rationibus fultam reiicimus. Iam opponimus huic antiquitatis documentum, quae, cum ne uno quidem codice excepto prooemium forma qua nunc habemus tradiderit, satis dilucide declaravit, parvum hoc quatuordecim versuum carmen esse unum, non ex duabus diversorum carminum partibus conflatum. Opponimus etiam duarum partium aequam compositionem ac congruentiam, quae mihi non facile persuadet, *casu quodam* hos bis septem versus in unum carmen confluxisse,

quo etiam accedit, quod ne fragmentum quidem eiusmodi carminum, de quibus Heinr. loquitur, ad nos pervenit.

Iam accedamus ad duas quae restant opiniones tractandas, quae omnium sunt gravissimae. Alii prologum dicunt esse praefationem ad primam quae continuo sequitur satiram, alii, prologum omnibus satiris praecedere. Quid utraque sententia sibi velit hisce explicare tentabo, cum ex comparatione illarum, quid equidem de prologo sentiam, facile appareat.

Ut igitur ad priorem sententiam redeamus, primum quaeritur, quae sit causa, cur prooemium nonnulli praemissum faciant soli primae satirae. Ita rogantibus respondemus, non hoc fieri, quod haec satira prima omnibus ceteris antecedat, — nam ne id quidem certum est, num hoc ordine, quo nos habemus, satirae a Persio ipso factae sint, — sed quod magna intersit differentia inter huius satirae argumentum et omnium reliquarum. Quinque enim illas satiras maxima ex parte disputationes esse e stoicae philosophiae scholis profectas, neminem, qui illas obiter tantum legerit, latebit, ita ut verae satirae in illis pauca tantum vestigia inveniantur. Sed multum ab his diversa est prima satira, in qua, cum corruptum literarum statum notaret, debebat sane Persius auditoria philosophorum relinquere ipsamque vitam petere, ut satirae officium expleret. Quod vere eum fecisse, et tam eorum, qui tunc literas tractabant, quam eorum, qui audiebant et iudicabant, pravitatem egregie atque vere depinxisse ipsius satirae argumentum unumquemque docebit, quod hic paucis tantum comprehendam necesse est. Est autem haec satira dialogus quidam inter poetam satiras scribere aventem et monitorem, qui eum a scribendo deterrere conatur. Persius vero, vir ferocientis ingenii nulliusque monitis cohibitus audacter invehitur in nobiles sui temporis, quin etiam in ipsum Neronem, acriter perstringens ambitiosam illorum in versibus scribendis vanitatem, affectatam verborum turgidorum ostentationem, inania figurarum pigmenta, summam deinde tum auditorum tum recitantium mollitiem notat et, qualem suarum satirarum lectorem habere velit, postremo narrat. Sed hoc argumentum in comparationem vocare cum prologi argumento nobis liceat. Hoc imprimis nullo pacto infitiari possumus, ratione habita quinque reliquorum carminum primam satiram et prologum simillimam tractare materiam, nam ut in prooemio et hic de se suoque satira-

rum scribendarum incepto agit simul etiam de aliorum sibi aequalium studiis ac scriptis. Accedit praeterea altera causa, quae sane multum ponderis habere videtur. Repetamus, quaeso, versus VI. et VII.:

„ipse semipagamus ad sacra vatum carmen affero nostrum."

Nonne verba „carmen nostrum", si obiter tantum ea legis, id spectare videntur, ut hic prologus satirae primae soli praecedat, quoniam, si referenda essent ad omnes satiras, dicendum fuisset „carmina nostra"? Interpres igitur parum subtilis, qui non altius in rem penetrat, facile ad priorem sententiam comprobandam adducatur, id quod etiam Passowio evenit, quem ceteroquin non inter mediocres huius poetae interpretes numeres. Alii iisdem rationibus adhaerentes altius etiam progressi prologum heroicis satirae primae continuaverunt. Nituntur illi Petroni loco, (sat. 4.) ubi choliambos hexametris praepositos invenies. Sed videamus, quae ad hanc rem contradicamus. Si enim primum Petroni locum consideramus, permultum interest inter illius carmen et hanc Persi satiram. Illius argumentum, quod invenis apud Iahn. (proll. p. 57.), hoc est: „Agamemnon, postquam de perverso parentum atque magistrorum studio in erudiendis ingeniis dixit, haec addit: „sed ne me putes improbasse schedium Lucilianae improbitatis, quod sentio, et ipse carmine effingam." Et tum sequitur parvum carmen, quo exprimitur, neminem ludicris artibus, sed severis tantum et diuturnis ad literarum arcem pervenire. Hoc autem constat quatuordecim versibus hexametris, quos praecedunt octo choliambici." Quo in carmine non solum inter singulos versus, verum etiam inter sententias arctissimum est vinculum. Apud Persium vero nullam videmus inter duo haec carmina copulam, sed inest in illis tantummodo quaedam similitudo argumenti.

Etsi porro ut prologum et satiram primam arcte inter se coniungeremus, aliis fortasse causis cogeremur, hoc Persio minus laudi quam vituperationi tribuendum esset, cum utraque unius carminis parte etiamsi non prorsus easdem tamen nimis similes cogitationes expressisset. Deinde si verba supra allata „carmen nostrum" per se quidem intellegimus, sane fieri potest, ut specie decepti verba ad unum carmen referamus; argumentum vero si perscrutatus eris, sine ulla dubitatione intelleges, poetam hic



non de uno et certo carmine sed de universo poesis cui deditus est genere, videlicet satirae, cogitare. Quod fieri posse ipse „carminis“ vocis usus docet, namque saepissime de universo quorumvis carminum genere usurpatum invenimus. Conferas Hor. Od. III, 30, 13.:

„ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos“,

ubi Horatius Pindarum imitatus esse videtur, qui Ol. I, 102. similiter habet: „αἰοληῒς μόλπῃ.“ Deinde vide Hor. epp. II, 2, 59.:

„quid faciam vis
Denique non omnes eadem mirantur amantque
Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
Ille Bioneis sermonibus et sale nigro.“

Restat denique, ut mentem ad primam rationem, quam de similitudine argumenti et prologi et primae satirae modo protulimus, rursus advertamus, quippe quae fusius nobis explicanda sit, cum summi momenti esse videatur, quae contra Passowi opinionem, de qua modo locuti sumus, in medium proferri possit. Nam si similitudo, quam inter prologi primaeque satirae argumenta exstare p. 9. et 10. ostendimus, alia ratione explicari potest, nihil nos impediet, quominus prologum praefationem ad omnes satiras esse statuamus, praesertim cum id iam accedat, quod ipsa uniuscuiusque prologi natura sit, non ut uni soli atque, ut hic se res habet, satis brevi satirae centum triginta quinque versuum antecedat, sed vel toti fabulae ex compluribus actibus compositae vel carminum complurium collectioni praemittatur, quae res tam nota est, ut exemplis eam demonstrare supervacaneum sit. Ecquid vero de illa similitudine habemus, quod exponamus? Quod animo pensitantibus nobis recurrendum visum est ad reipublicae statum literarumque qua tunc erant Romae conditionem, de qua in universum haec dicturi sumus.

Ubicumque a republica removetur populus, neque eius cura virorum animos occupat, ad literas colendas homines animos applicant, et quod antiquis reipublicae temporibus levius nec satis dignum Romana gravitate videbatur, scribere et versus pangere, id sublata libertate maiore semper cura agebatur. Ita hoc liberalium artium studium celeriter ad inanem iactationem et ostentationem puerilem vertebatur, qua sine ingenio vere poetico sola

versuum conscribendorum artificii gloria gaudebant atque imperitissimi cuiusque laudem indigne captabant. Quare satira quoque a rebus publicis ad literas potissimum vertebatur. Id quod in Horatio iam animadverti potest, qui, quamquam in universum aetati suae non parcit, nusquam tamen gravius commovetur et acrius veriusque satirae suae aculeum intendit, quam ubi de literarum conditione agit, (cf. Hor. epp. II. et art. poet.) neque quemquam potest fugere, eà in re summam Horati vim atque auctoritatem positam esse. Magis etiam hoc valet de Persi temporibus atque satira. Nam magis etiam incaluit illud scribendi studium, recitandi furor, rhetorica institutione magis corrumpebantur iuvenum studia, et auditorum ineptae laudes quovis etiam pessimo artificio quaerebantur. Itaque huc potissimum, cui ad rempublicam non patebat accessus, vertere se debebat Persi satira. Quid, quaeso, tum mirum, quod, postquam — quae omittere non poterat, — primis versibus pauca de se suoque carminum pangendorum conatu disseruit, argumenti quinque reliquarum satirarum nullo modo ratione habita suique praeceptoris stoicae philosophiae immemor, statim ab initio iamque in prologo in corruptos suae aetatis poetas depravatamque literarum conditionem poeta se convertit. Eiusmodi autem licentiae poeticae indulgendum haud dubie est atque, etiamsí contendere licet, rem certe melius se habere, si Persius argumenti ceterorum quoque carminum aliquatenus commemorationem fecisset, tamen propter solam hanc rem neglectam, si reliqua bene se habent, sententia illa, secundum quam prologus omnibus satiris praemittitur, non prorsus videtur refutanda.

Itaque, ut paucis, quae de nostra ex tota expositione profecta opinione dicenda habemus, complectamur, simplicissimam prologi explicationem hanc esse apparet: Prologus est brevis praefatio ad totum satirarum librum referenda, sed ita comparata, ut argumenti summam cogitationemque primariam ex prima satira poeta hauserit.

Quaestio II.

De dialogo satiram primam incipiente.

Primi tres versus, de quibus solis *) haec disceptatio est, qua ratione inter poetam ipsum et interlocutorem, ut hac voce utar, dispertiendi sint, quaestio est difficillima. Iam quaeritur, utrum primus versus: „O curas hominum! o quantum est in rebus inane!“ Persio sit tribuendus an interlocutori. Attamen priusquam de hac quaestione iudicium facere conamur, ad universum totius rei commodum primum hoc accuratius dispiciendum est, quam naturam Persius interlocutorem habere voluerit.

Quam habeant Persianae satirae cum mimis coniunctionem non est, quod altius exponam. Iahnius enim (proll. p. 84.—108.) de hac re fusius iam disseruit, iure ei mimicam artem tribui recteque traditum videri, docens, eum in Sophronis mimis studium posuisse, cuius explanationem non video cur non comprobemus. Quae porro de disponendo dialogo brevia exhibeat, quaeso, videas. „Unum addo, inquit, (loc. cit. p. 107.) Persiani dialogi rationem, quae saepe obscura videtur, facile explicari posse, si cogites, satiras a scito quodam lectore apta vocis modulatione et gestu recitari, quo omnis illa obscuritas evanescit. Itaque hac in re quoque ad mimos accedit. Illud enim non potest negari, Persium omnium summa libertate in disponendo dialogo uti, ita ut prouti lubet adhibeat et abrumpat et aperte eximiam quandam recitandi artem postulet. Quod omnino in Romanorum scriptis diiudicandis non videtur neglegendum, ea, postquam invaluit recitationum mos, ad praelegendum potissimum esse composita.'

*) Ceteros huius satirae locos, ubi de dialogi distributione graviores exstant controversiae (veluti v. 92.—106.), hic tractare, spatium opusculi arcte circumscriptum vetuit.

et legendi artem summo studio esse excultam vel ipse Persius docet, qui corruptam effeminatamque lectionem (sat. I, 32. sq.) perstringit.“ Ex iis, quae hic disputata sunt, apparet, non posse Persio opprobrio fieri, quod, ut alii contendunt, dialogi personis obscuram quandam dederit speciem, quodque evanescant, simulatque in medium prodierint. Optime enim diversa vocis modulatione quam supra attigi personae distinguebantur, atque si quis hominem eiusmodi recitationis peritissimum satiramque ut nostram hanc praelegentem.ipse audiebat, is nihil certe nec perspicuitatis nec elegantiae in dialogi personarum usu desiderabat.

Quae cum ita sint, minus etiam mirabimur discrimen, quod interest inter Horati quas sibi finxit personas et Persi Flacci. Horatius enim dialogo non utitur nisi eo ubique consilio, ut quid ipse sentiat animosque volgi docere velit, hoc orationis artificio tenui multitudinis ingenio ita accommodet, quo facilius atque celerius perspicere possint. „Er lässt seine Leser nach sokratischer Art, wie ohne sein eigenes Dazuthun, scheinbar durch sich selbst, in die Tiefen ihrer Brust sich zurückführen und sie selbst sich ihr Urtheil sprechen.“ (Passow. p. 238.).

Longe aliter Persius. Non perspicuitatis gratia personam quandam sibi facit opponentem, quemadmodum apud Horatium vidimus, attamen ipsum potius contrarium, ut ita dicam, appetens interlocutorem repente atque improviso producit in mediam scenam, ut ipse, neque vero interlocutor, vociferandi inveniat occasionem. Persius semet ipse repraesentare virtutis magistrum vult, ipse docet, quid rectum, quid verum sit; interlocutor contra, si comparare licet, quasi partes agit gladiatoris, qui simulatque vel minimum in exercenda sua arte peccatum commisit, eodem fere temporis momento flagello lanistae verberatur. Nam quotiescunque errantis multitudinis vicem gerens („der personificirte Zeitgeist“) pauca tantum obloquitur, statim renovato quasi impetu gravius ac vehementius in hunc miserum poeta invehitur. Quam diversi autem generis iste error est, tam diversam etiam induit interlocutor naturam, ita ut ne duobus quidem locis idem contradicere videatur. Causam igitur intellegimus, quomodo factum sit, ut Persiani interlocutores modo hanc modo illam inter se diversissimam speciem assumerent, neque iure virum doctissimum *Teuffel.* („*Stud. u. Char.* p. 408.“) tam severe hanc poetae proprietatem *vituperare pro* certo habemus. Neque maiore iure ne-

glegentia atque incuria quaedam Persio vitio dari videtur, quo in opprobrio omnes, quos habui interpretes, praeter Iahnium, quasi uno ore consentiunt. Audiamus, quae dicat Heinrich. (p. 74.): „Es scheint, dass der Dichter im Ganzen seinen Widersacher nur zu wenig zum Worte kommen lässt, und dass er diese Rolle hätte benutzen können, um seinen Zeitgeist um vieles besser zur klaren Anschauung zu bringen, indem er ihn mehr sich selbst hätte aussprechen lassen, wie Aristophanes seinen λόγος ἄδικος, wie Horaz in den Sermonen mehreren Rollen widerfahren lässt. Man sieht aber hieraus, dass es ihm eigentlich mit dem eingeleiteten Gespräch kein rechter Ernst war, dass er auch in dieser Form kein sonderlicher Meister ist und dass er ihrer sich bloss bedient, um zum Selbstsprechen Gelegenheit zu haben: wesshalb er auch schon v. 40. den Gegner ganz vergessen hat, und weiterhin, gleichsam nur um seine Schuldigkeit zu thun, wieder zu ihm zurückkehrt (v. 55.), zuletzt ihn aber doch wieder aus den Augen verliert. Es geht also die nachlässige Behandlung des Dialogs vielmehr durch's ganze Gedicht, als dass sie bloss in einzelnen Stellen zu suchen wäre, und sie ist, wenn auch kein Vorwurf (!), doch gewiss noch viel weniger eine Tugend des Gedichtes.“ Eadem fere dicunt ceteri interpretes, omnesque, quomodo dialogus Persi comparatus esse debuerit, ostendentes ignorant, qualis reapse sit. Omnes in comparationem vocant hunc cum Horati dialogo, a quo illius usum longe lateque distare iam docuimus. Omnino non negligentiae est, ut hoc iterum atque iterum premam, si dialogus Persianus nonnullis versibus interpositis vel etiam longiore sententiarum serie interrumpitur, deinde autem, ubi poetae consilio expedit, denuo recipitur; sed potius consulto cumque deliberatione id a Persio fieri apparet, partim quo vituperatio volgi errantis atque ore interlocutoris sese monitori opponentis severior atque acrior fiat, partim ut quotiescumque possit mimos imitetur, quorum ars illis potissimum temporibus summo omnium favore colebatur (cf. Jahn. loc. cit.). Passow. (p. 238.), cum eandem neglegentiam sese videre arbitraretur, omni opera acrique ingeni vi id saltem petiit, ut Persium, quem adamavit, quantum posset defenderet, ita disserens:

„Da das zu Erreichende von dem Mittel, durch welches es erreicht wird, wesentlich verschieden ist, und sich von diesem in *jenem keine* eigentlichen Spuren erhalten: so sieht er es durch-

aus nur als Werkzeug zu höheren Zwecken an und behandelt es sorglos, ja nachlässig. Was er auf diese Art an Correctheit verliert, gewinnt er an innerer Consequenz reichlich wieder.“ Verba admodum pulchra et ingeniosa, atque etiamsi verum esset incuriae opprobrium, tamen tantam haberent vim excusandi, ut ipsam neglegentiam utpote minimam omitteremus, propterea quod id, quod assequendum est, semper pluris facere debemus, quam id, quo adiuvante illud assequimur. Hisce non inferiora sunt, quae sequuntur, Passowi verba: „Denn mit seiner Verachtung alles dessen, was der Darstellung mehr als dem Darzustellenden angehört, harmonirt dieser Gebrauch des Dialogs, der nicht auf anmuthig geschlängelten Pfaden, sondern auf steilem, oft unbequemen Steg gerade zum unverrückten Ziele des Strebens führt.“

Haec hactenus. Quapropter autem hanc disceptationem instituerimus, ex his quae sequuntur intelleges. Etenim optimo iure contendere tentamus, fieri omnino non posse, ut Persianus interlocutor satiram incipiat. Est enim, ut supra demonstrasse nobis videmur, iste interlocutor nulla certa persona, quae per totum dialogum sibi constet eandemque speciem praebeat, at vero expressa imago est perditae ac corruptae multitudinis, quorum vitia et scelera tot sunt tamque diversa, ut interlocutor illius vicem gerens multiplicem formam ac speciem induere possit. Nihil est nisi virtutis contrarium, quod per se est, ut voce utar, multicolor. Eiusmodi vero persona in sermonem haud intercidere vel omnino esse non potest, nisi quid praecesserit, cuius contrarium repraesentare possit. Prorsus aliter res se habet, si Horati figuras consideramus. Ubicunque ille cum alio init sermonem, hic propria et absoluta utitur specie, quam quoad dialogus continuatur, obtinet. Considera, si huius rei exemplum afferre placet, dialogum illum Horati (sat. II, 1.), ubi festive multoque sale simulat, se C. Trebatium Testam iureconsultum, e facetis epistolis a Cicerone (ad fam. VII, 5.—22.) ad eum datis notissimum, quem tum iam mortuum esse vix est, quod dubitemus, consulere, quid in tanta obtrectatorum in se satirasque suas iniquitate, de qua admodum sollicitus sit, faciat. Quantopere differt eiusmodi persona ab illis, quas apud Persium ubique locorum videmus! Neque mirum, si apud eundem Horatium personam invenimus *sermonem incipientem*, veluti (sat. II, 3.) Damasippum, qui partes *agit stoicorum sectae, hominum* et pravorum et vilium, qui seve-

ritatem externo cultu simulantes omnes alios homines insanos et stultos esse clamabant, et stoicae scholae praeceptis abutentes se ipsos solos sapientes esse gloriabantur. Hic in villam subito irrumpens Horatiumque otio deditum opprimens, statim, priusquam poeta ex adventu illius necopinato animum recepit, pigritiam illius accusare incipit. Talis actus scenicus omnino placet atque insanire eum existimarem, qui hoc vituperare vellet, quod Damasippus hic prior loqueretur. *)

Recedamus iam ad primum satirae versum atque videamus, aliaene exstent causae, quae primam atque primariam, quam modo ex ipsius interlocutoris natura hausimus, confirment, deinde quid istis verbis Persius, cui sunt attribuenda, dicere velit.

Habemus ad hunc locum annotationem scholiastae: „hunc versum de Lucilii primo transtulit“, quae vulgo ad versum alterum adscribitur. Sed quid nota illic posita sibi velit, intellegere non possumus, at probamus potius cum Iahnio G. Pinzgeri (Ien. Litztg. 1823, n. 77, pag. 130.) egregiam coniecturam, qua illam annotationem ad versum primum retulit. Clarius igitur poeta indicare non poterat, se satiras esse scripturum, „quam si, ut Iahnius pag. 78. dicit, a versu Lucili initium faceret et nescio an hoc quoque hanc sententiam confirmare videatur, quod legimus in vita, Persium lecto Lucili libro decimo vehementer satiras componere studuisse, cuius libri principium imitatus sit.“ Defixus in contemplatione saeculi sui depravatissimi eorumque omnium, quae mortales agunt, cum haec plusquam vana esse animadvertisset hoc exordio abrupto atque gravitate referto, de futilibus hominum curis satiram scribere instituit. Tota satirarum suarum materia his paucis verbis continetur, de

*) Meister. (letzte Stud. p. 84.) omnem differentiam, quam inter Horati et Persi interlocutorem ostendimus, intellegere ut videtur non vult, cum dicit: „ich bin durchaus nicht fähig, diesen für die Unterart entscheidenden Charakterzug aufzufinden, sondern glaube, dass es gar keinen solchen gibt, dass vielmehr bloss (?) nach dem Inhalt der ersten Worte und nach der Möglichkeit des reinsten Zusammenhanges entschieden werden muss, ob der sich selbst gesetzte (?) Gegner mit den ersten Worten beginnt.“ Sed cum viro in iudicio tam celeri disputare maiorem habet difficultatem quam ut mihi quidem de ea re verba amplius facere in animo sit. Quae extremis verbis dixit, in textu longius tractavimus.

qua deinceps dicturus est nihilque aliud fecit poeta, quam q initio satirae fecit Iuvenalis quoque (sat. I, 85.) dicens:

„Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, volup
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli."

Optime ergo huc quadrat illud satirarum initium neque sam vel minimam habeo, cur hunc versum loquentem faciam terlocutorem.

Interroget fortasse quis (ut Meister. p. 82.), quae sit co rentia huius cogitationis cum iis quae sequantur? Hoc mihi dem ad intellegendum haud difficile videtur. Tota enim sa ad duo capita est referenda. Initio capitis primi Persius consilium cepisse dicit animum ad satiras pangendas appellere. ganti inde, qua de re vanum hunc laborem susceperit, quoniam a lo tamen legeretur, se volgi iudicium prorsus spernere respondet a confirmat. Alterum caput ex priore nascitur eiusque rationem tinet, quo fusius docetur, totam studiorum rationem Romae corruptam; non poetas, non oratores eo animo ad literas dere, quo par sit, neque minus universi populi iudicia esse versa. Et hac quaestione absoluta nihil denique obstat, qu nus primum versum demus Persio ipsi.

Duo sequentes versus difficultatem interpretibus praeb quae nondum soluta est neque unquam, quantum equidem vi prorsus dissolvetur. Libros manuscriptos nihil auxilii hic p bere consentaneum est atque editiones veteres in ponendis si tantopere inter se discrepant, ut nullum fere fructum ex iis cipiamus. Qua re factum est, ut interpretum ex suo qui ingenio atque opinione de distribuendo dialogo iudicium fa conatus sit omnesque in diversas sententias abierint. De p cipatu quasi certant inter alias sententiae Passowi, quem se tur Iahnius, et Casauboni, a cuius parte stat Heinrichius. vero nos de utraque sentiamus, breviter dicemus, ut ration utramque firmantibus libere ponderatis, quae sit praeferenda tellegamus. Passowi distributio haec est:

v. 2.

Interloc: „Quis leget haec?"
Persius: „Min'tu istud ais? nemo hercule!"
Interloc: „Nemo?"

v. 3.

Persius: „Vel duo vel nemo."
Int.: „Turpe et miserabile!"
Persius: „Quare?"

Qui hic sit dialogi ordo ac series, breviter perscrutemur. Simulatque Persius primo versu, quid satiris tractaturus sit. quam brevissime indicavit, procedit extemplo aliquis ex adversario volgo maligne rogans: „Quis eiusmodi scripta, qualia tu pangis, leget?" Bene igitur faciunt illi interpretes, qui adversarium hunc nomine monitoris appellant. Amicum vero Persi, ut alii, seu morosum et ridiculum senem, quemadmodum Achaintrius (p. 9.) vult, illum vocari posse omnino nego, neque video, quibus causis nisi hanc sententiam confirmare velint, sed hic consideranda sunt, quae supra in universum de interlocutore dixi. Poeta autem, ut pergam, quaestione illa nihil oppressus, cum iudicium nequam volgi iam pridem optime noverit. respondet: „Hoc mihi dicere non debebas; nam nihil certius scio, quam neminem scripta mea esse lecturum." Stupet ob haec interlocutor neque animo comprehendere potest, quomodo cui libeat scribere, quem nihil referat, qui legatur. Quapropter minus audax repetit: „Nemo? Nihilne prorsus tua interest, alios scripta tua non legere, hocque omnino praetermittis?" Ad quae poeta gravius: „Vel duo vel nemo", id est „sint duo, sit nemo, qui legat, idem est!" Haec enim verba exprimunt idem atque familiares Graecis dictiones: „ἢ ὀλίγοι ἢ οὐδεὶς" et „ἤ τις ἢ οὐδεὶς", quoties summam raritatem indicare volunt (cf. Casaub. p. 36., Passow. p. 242.). Monitor, cum Persium in hac tristi conditione bono tamen animo esse videat, facere non potest, quin elata voce exclamet: „Heu, quam turpe ac miserabile tibi est, quod libri tui a nullo leguntur, sed in cistis librariorum pulvere sordidi pereant!" Hic iam annotandi occasio datur, postrema quae dicit interlocutor verba etiam in alteram partem ab aliis esse intellecta idque ab aliis, qui monitorem pro amico Persi haberent. Significant, aiunt, interiectionem amici monentis, qui indignatione plenus vehementissime volgus obiurgat, quod sit ab omnibus bonis studiis et artibus tam alienum nihilque curet nisi mollitiem atque luxuriam. Ad quam sententiam accedere liceret, nisi interlocutoris species, quae est hominis ex ipsa plebe, impediret. — At vero, etiamsi ma-

xima quidem ex parte haec Passowi distributio clara est bonumque sententiarum ordinem exhibet, tamen una quantum equidem sentio exstat difficultas, in qua magnopere haesitamus. Quae est in ea re posita, quod verba: „Min' tu istud ais?“ et „Nemo hercule!“ eidem dicenti attribuere dubitamus. Atque primum quidem dubium est, num ex ratione dialogi statim ab initio Persium introducere liceat, quasi cui persuasum sit ea, quae scripturus sit, a nullo legi. Nonne tum causa plane aufertur, quae sola poetam commovit, ut dialogum fingeret? Cum enim primum versum scribere inciperet, ne Persium quidem latebat, omnis, ut Casaubonus dicit, scriptionis consilium esse lectionem, non per se quidem, verum ideo, quia utilitas, quam praecipue spectamus, nulla potest sine lectione percipi. Totus igitur defixus est poeta in cogitationibus nihilque aliud curat, quam ut laborem inceptum producat. Hoc temporis momento subito poetae aliquis supervenit — nam ita festivissime fingit poeta scenam, — qui illum adhortatur, ut scribendo desistat, quod scribat prorsus inutilia. Persius oculis extemplo sublatis atque ita obstupefactus, ut nesciat, utrum ipse an alius quis vocatus sit, rogat: „Min' tu istud ais?“ Respondet celeriter primam sententiam quasi iureiurando affirmans adversarius: „Ita. Nemo, hercule! te tuaque scripta leget.“ Atque tum demum Persius paullatim se intellegere fingit, eiusmodi scripta non esse, quae legantur. Hic nexus sententiarum maximam habet verisimilitudinis speciem talisque scena altera multo subtilior, elegantior, exquisitior est. Huc accedit, quod vox „hercule!“, utpote quae maximam habeat vim affirmandi, ne dicam iurandi, haud dubie desiderat, ut vox aliqua praecedat, quam confirmare possit. Persius vero non habet causam, cur voci „nemo“, si quidem hanc illius esse volumus, hanc gravem affirmandi particulam adiungat, nam non video quo cogatur, ut, quasi a monitore non credatur, id quod neget insuper aliquo modo affirmet. Prorsus alia ratione se res habet, si istam vocem adversario tribuimus. Is iam antea forma interrogationis poetam admonuit, a nullo eiusmodi argumenti satiras legi, atque cum Persius etiam tunc dubitet, num ipsum ille allocutus sit, prius dictum graviter ac vehementer affirmat: „Tu ille es, quem dixi, non alius. Tua scripta mehercule! nemo leget, non alius.“

Satis ergo luculenter apparet, alteram Casauboni distributionem *esse praeferendam.*

Cum haec recte se habeant, quaeritur praeterea, num verba quae sequuntur ea ratione, qua fecit Casaub. et Heinr. bene sint dispertita. Vocem „nemo?“ tum Persio dandam esse iam dialogi vicissitudo indicat, id, quod perspicuis verbis monet Passowius (p. 241.): „Es ist hier nicht hinreichend, den Sinn der einzelnen Perioden zu berücksichtigen, sondern auch ganz besonders die Idee der Wechselrede zu beachten. So gut sich auch das nemo, hercule! nemo! allein betrachtet, vereinigen liesse, wie auch die ältesten Editoren gethan haben, so wenig erlaubt dies das folgende: Vel duo vel nemo. welches dann auch von derselben Person gesprochen sein würde. Desshalb war das letzte nemo von hercule zu sondern und als Frage zu bezeichnen.“ Praeterea si distributionem Casauboni praeferimus, sensus aeque pulcher bonusque erit, quam si, ut Passowius, interlocutoris ore alterum „nemo“ dictum putemus. Namque fingit poeta, ut supra longius exposuimus, sibi sensim tantum persuaderi, sese laborem supervacaneum suscepisse necdum illo momento, quo interrogandi vocem „nemo?“ obiicit, illius adhortationem aequo animo accipit dictumque adversarii omnino credere nequit. Tum demum, cum tertio, quod iam bis sine magno effectu opprobrio Persio fecit, quam vehementissime potest adversarius repetit, poeta animo, ut ita dicam, (nam fictio est,) concipit, quod incredibile ante censebat. Simul vero superbia inflammatur atque iracundia plenus exclamat: „Quare? turpe et miserabile est, scripta mea a volgo non legi?“ Equidem sperno ac despicio plebem, quae tam rudis atque inculta est, ut virtutis praecepta ne legere quidem velit. Videmus igitur, si hanc seriem cogitationum comprobamus, verba: „vel duo vel nemo; turpe et miserabile!“ interlocutori attribuamus prorsus necesse esse atque hoc quidem sensu, quem optime lingua vernacula sic reddidit Heinrich. (p. 75.): „Gleichviel ob es zwei lesen, oder Keiner; eins ist so schimpflich und kläglich wie das andere“, quae brachylogia, ut hac voce utar, sermone celeriter procedente non est ingrata. Itaque si quis ex me quaerit, utram harum distributionum simpliciorem atque elegantiorem existimem esse, dicere haud dubitabo, me quidem omnino praeferre eam, quam protulit iam Casaubonus quamque perspicuitatis gratia huc apposui:

v. 2. Int.: „Quis leget haec?“
Pers.: „Min'tu istud ais?“

Int.: „Nemo, hercule!“
Pers.: „Nemo?“
v. 3. Int.: „Vel duo vel nemo; turpe et miserabile!“
Pers.: „Quare?“

De ceteris distributionibus, quotcunque interpretes in lucem protulerunt, multa verba facere non opus est, propterea quod nulla inter eas exstat, quae et auctoritate et elegantia cum istis duabus sit comparanda. Commemoratu fortasse digna est illa, quam exhibet Achaintrius (p. 10.). Hic enim ultimam vocem secundi versus tresque primas tertii versus dat Persio, ita ut verba „vel duo vel . . . a voce quae sequitur „nemo“ punctis aliquot seiungat, quam tribuit interlocutori.

Quam ad rem firmandam addidit haec: „„In Puteani codice initium versus (3.) cum fine praecedentis cohaeret. Persio enim haec tribuuntur, quasi dixisset: „nemo (ais)? ah! saltem duo, vel tres, vel aliquot mihi erunt lectores!“ sed adversarius non exspectans, donec inchoatam sententiam absolverit, interpellat et subiicit: „Nemo; turpe et miserabile.“ Huic assentimur interpretationi, quae et apta et elegans est.““

Apparet ex his, quanto opere editores in dialogo distribuendo dissentiant, atque ingeniosa vocari posset Achaintri distributio, — quam ceterum iam Casaubonum (p. 36.) attigisse video, — nisi verba quae sequuntur dilucide ostenderent, eiusmodi triste solatium hic a Persio appeti omnino non posse. Qua de causa est reiicienda.

[redacted]

III. Quaestiones criticae.

Fasciculus I.

Vir doctissimus O. Iahnius quantopere de codicibus Persianis comparandis meritus sit, notum est, cuius praeclara dissertatione omnibus, qui apparatum criticum ampliorem desiderant, sine dubio erit satisfactum (proll. inde a p. 173. usque ad fin.). Itaque pauca tantum hic mihi praemittenda sunt. Summi aestimat codices Montepessulanum et Romanum, quorum priorem nota „Mp", alterum nota „Rom" significavit. Eadem atque ii fruitur auctoritate codicis palimpsesti Vaticani fragmentum (Vat), in quo leguntur satirae I. vers. 57.—103. Ceteri omnes, quantum ex accurata comparatione intellegi potest, ex tribus illis aetate maioribus manarunt. In constituendis igitur lectionibus Iahnius primus auctoritatem optimorum codicum secutus textum ab innumerabili mendorum copia purgavit. Sed etiamsi lubenter profitemur, illius viri de Persi satiris explicandis merita esse summa, tamen nonnullos equidem inveni locos, in quibus a Iahnio dissentio quique digni esse mihi videntur, qui fusius denuo illustrentur. Verum cum limites huius opusculi arctius sint circumscripti, factum est, ut altera annotationum criticarum parte in posterum tempus dilata hic prologi tantum satiraeque prima ei in quibus offendi lectiones examinare potuerim. Secutus sum maximam partem O. Iahni editionem maiorem. Sed exstat etiam eiusdem viri editio minor (Berol. 1867.), quae, cum aliquot in illa sint loci, in quibus ipse Iahnius a priore sententia in maiore editione data discesserit, mihi non prorsus neglegenda visa est. Quod vero causas, cur sententiam mutaverit, non addidit, neque illos locos denuo retractare dubitavi causasque nonnullis verbis exponere.

Prologus.

v. 5. lego „remitto“ contra Iahni editionem maiorem et Passowium, qui exhibent „relinquo“. Iam codicum auctoritas lectionem nostram defendere videtur. „Mp“ et „Rom“ optimeque Paris. et Monac. ita scribunt. Br 5. et M 7. (vide Iahn.) superscriptum habent „relinquo“. B 1., quamquam in textu „relinquo“ habere videtur, a manu secunda glossam interlinearem exhibet, quae textus lect. „relinquo“ explicat verb.: „remitto, concedo“ (cf. Iahn, proll. p. 197.). Huius auctoritatem secutus nescio an Iahn. „remitto“ scribere maluerit. Equidem vero secundum codicum iam auctoritatem „relinquo“ reiicio glossamque esse (cum Orellio) duco, quales explicationis gratia iam ex vetustissimis temporibus in Persi textum irrepserunt (cf. Iahn. proll. p. 198.). At exstant praeterea aliae causae, quae „relinquo“ legere vetant. Namque si Persius ipse „relinquo“ scripsisset, non video, quomodo vocem maxime vulgarem et usitatissimam altera, quae multo sit exquisitior, explicare necesse fuerit. Quod Persius sat. V, 17. („mensas relinque Mycenis“) eadem voce usus est, non est causa, quod hoc quoque loco ita eum scripsisse in mentem inducunt. Facile contra fieri potuit, ut hunc ipsum locum respicientes veteres glossarum scriptores rarius verbum remittendi verbo relinquendi explicarent, quod sensum magis perspicuum redderet. Passow. (p. 215.) alteram producit rationem ita disserens: „remitto bedeutet das Verzichtleisten auf ein bereits besessenes Gut, relinquo das unbedingte Verwerfen desselben, noch ehe wir seiner theilhaft wurden“, quamobrem vocem relinquendi ad sententiam totius loci, ut dicit, aptam alteri praefert. Sed doctissimus vir nimis acer hic in distinguendis verbis fuisse videtur, praesertim cum poetam hic tractemus, cui talis licentia in verbis similis notionis commutandis multo magis quam prosae orationis scriptori concedenda sit. Consulto poeta inusitatiore multoque graviore verbo remittendi pro simplici verbo, quod est relinquere, usus esse videtur. De discrimine Passowi certe non cogitavit. Heinrich. (p. 69.) hunc locum in comparationem vocat cum Hor. epp. II, 1, 235.:

„sed veluti tractata notam labemque remittunt attramenta.“

Falso, ut mihi videtur. Nam hic „remittunt“ proprio sensu *verbi „relinquunt“, qui* est lingua vernacula „zurücklassen“, ad-

hibitum est, neque vero notione „concedendi, reiiciendi.“ Nihil igitur aliud haec consideratio demonstrat nisi hoc, poetas saepissime verbis similis notionis alterius vicibus uti solere, quam sententiam illa, quae contra Passowium dixi, testantur.

v. 9. Dissentiunt viri docti inter se, legendum sit „verba nostra“ an „nostra verba“. Codicum optimorum alter „Mp“ „verba nostra“, alter „Rom“ „nostra verba“ exhibent (cf. Iahn. edit. mai. p. 4.), ceterique dissentiunt inter se, ita ut secundum codicum rationem haud facile concludi possit, quid sit praeferendum. In re ipsa igitur iudicium positum est. Qui „nostra verba“ legunt, sibi oppositos esse censent psittacum Graeca lingua loquentem atque picam lingua Latina. Sic Iahn. (ed. mai. p. 77.): „psittacus inquit, suum, id est peregrinum „χαῖρε“ sonabat, pica indigena vernaculo sermone loquitur.“ Attamen si sententiae quam hic Persius exprimit summam consideramus, nihil prorsus referre elucet, tam acutam differentiam inter utriusque sermonem statuere. Comparat enim suae aetatis poetas Persius cum avibus, quae natura sua humanae vocis ignarae, arte tamen eo perducantur, ut verba nostra imitari conentur. Quemadmodum aves illae nisi dure ac laboriose humanam vocem imitari non discant semperque indiserti tantum imitatores maneant, ita etiam poetas illos, quos ingenio vere poetico carentes „magister artis ingenique largitor venter“ ad carmina pangenda incitaverit, ne ex aliqua quidem parte perfectos unquam evasuros esse dicit. Ad haec quid vult quaesita illa distinctio? Quid impedit, quominus suum „χαῖρε“ simpliciter pro „suam salutationem“ accipiamus? Nec tum quidem Persium de illa cogitasse puto, si „nostra verba“ (quod equidem nego,) scripsit. Subtilior atque satirarum scriptori magis familiaris illa mihi videtur explicatio, quae docet, facetam in voce „χαῖρε“ inesse irrisionem malae illius, quae tunc Romanos pervaserat, consuetudinis in variis cotidianae vitae conditionibus Graecis formulis uti. Pulchre igitur faciunt illi, qui prologum convertentes vocem „χαῖρε“ reddunt salutationem, qua nos quoque, barbari mali imitatores, saepenumero utimur „bon jour.“

Satira I.

v. 4. „Mp“ et „Rom“, melioresque legunt „ne“, deteriores „nec“. Idcirco „ne“ est tenendum. Sed quaeritur, utrum enun-

tiatio affirmans an rogans hac sententia contineatur. Heinr. et alii „ne“ pro „nae“ positum arbitrantur, ita ut sensus sit: „Wahrlich, die wären im Stande, mir — vorzuziehen!“ Alii, veluti Passow. et Iahn., hoc non affirmantis, sed verentis esse putant atque ante vocem „ne“ ellipsin, ut voce utar, statuendam esse, id quod Heinr., quia huius rei exemplum nusquam inveniatur, fieri posse omnino negat. Attamen ad hanc rem Iahn. conferendum esse docet Madvig. ad Cic. de fin. V, 3, 8., dicentem: „ „„sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim““; qui haec fere dicit, non optantis hoc est et precantis, sed verentis, quod insolitum esse in sermone Latino dicendi genus, ut ante „ne“ verendi significatio premeretur, sensit Lambinus; nec habeo, quod comparem nisi Verr. IV, 15.: „„ne forte, dum publicis mandatis serviat, de privatis iniuriis reticeat““, ubi hoc sic superioribus adiungitur, ut haec sententia sit: „„ut verendum sit, ne““, vel „„itaque verendum est ne““ “. Quibus exemplis satis demonstrari puto, nos sermoni Latino nullam vim inferre, si verbum verendi ante „ne“ excidisse dicere conemur, praesertim cum hac ratione optima loci sententia exsistat. „Ne — praetulerint“ enim breviter positum esse Iahnius docet pro „quare turpe putas? quia timendum (vel cavendum) sit, ne cet.“, plane ex vulgari usu loquendi, ut lingua nostra diceremus: „Warum? Dass (oder: Weil) mir etwa jene den Labeo vorzögen?“

v. 6. „Examenve“ an „examenque“ in textum recipiant, haesitant interpretes. Equidem omnino praefero „examenque“, quae est „Mp“ et „Rom“ lectio (Iahn. in edit. mai. „examenve“, in min. „examenque“ exhibet,) alteramque elisione literae „q“ perperam factam esse pro certo habeo. Nimirum apud Horatium et Iuvenalem multi exstant loci, ubi legas „non — ve“, sive „nec — ve“ (Hor. sat. I, 4, 74. epp. II, 1, 69. 122. I, 18, 72. ars poet. 249. Iuv. XV, 125.), hosque locos secutis interpretibus „ve“ scribere placuit, at haec causa esse non potest, ut et hic „examenve“ a poeta scriptum esse contendamus. Secundo loco enim semper sententia ipsa respicienda est. Illud „ve“ autem si statueremus, „castigare“ vim suam corrigendi prorsus amitteret neque ulla praeterea vocis „improbum“ ratio habita esset. Sententia, quam Passow. (p. 249.) ingeniose ac longius exposuit, haec est: „cum corrupto populus Romanus iudicio sit, si quem extule-

rit et laudaverit, ad eius iudicium ne accedas, ipseque linguam, quae in populari trutina fallax est, exerceas, et quam in partem vergat, observes."

v. 17. „Mp" et „Rom" ceterique codices meliores consentiunt in lectionibus „legens" versuque insequenti „collueris." Nonnulli deteriores litera „n" excussa „legens" in „leges" mutarunt, quod optime ad „collueris" quadrat. Atque etiamsi concedendum sit, si „legens" retineamus, verbum finitum nos desiderare lectionemque „leges" huic inopiae bene mederi, tamen consulto cum hic participium a poeta positum tum verbum finitum omissum esse contendi potest, videlicet quo descriptionem hanc hominis recitantis quam vividissimam nobis ante oculos poneret. Fortius etsi insolentius pro participio futuro „lecturus" id usurpatum videri, iam Schlueterus (p. 25.) monuit. Heinr. (p. 81.) „leget — colluerit" praefert, cum tertia persona contemptionem quandam habeat, atque in comparationem vocat hunc locum cum sat. III, 3., ubi formam „stertimus", quae hic praecedenti „scribimus" congruat, v. 12. et 14. sequatur „quaeritur". Ita Heinr. saepius codicum auctoritatem prorsus neglexit, id quod dilucidius intellegi non potest quam

v. 21., quo loco pro genuino „ubi" aliquot librorum depravatam lectionem „ut" recipere conatus est, nulla causa commotus, nisi quod ea re elisio tollatur.

v. 24. Multum in utramque partem ab interpretibus disputatum est, utrum scribendum sit: „quo didicisse" an „quid". Codicum ratio haec: „Rom" praebet: pd", „Mp" et alii „quod", ceteri permixte: „quid" et „quo". Hoc igitur omnino tenendum videtur, archetypum sine dubio literam „d" monstrasse, atque ex usu vetustorum librariorum, qui imprimis in pronominibus relativis non omnia plane exscribere solebant, ea ratione literam „d" adscriptam, quam in „Rom" observatam videmus. Codicis „Mp" librarius inde perperam „quod" mutasse videtur, ex quo posteriores „d" litera deleta „quo" fecerunt. Quamobrem, si quidem literam „d" archetypi tutari volumus, ne dicam coacti sumus, nihil superest, quam ut „quid" defendamus, cum „quod" omnino explicari nequeat. Sane Iahn., cum pronominis relativi formae diversae semper et ubique in codicibus confundantur, „quid" autem et „quo" saepius inter se commutentur, „quo", „cuius legitimus usus esse videatur", Heinsium et Bentleium (ad Hor. epp. I,

5, 12.) secutus, in textum recipere non dubitavit. Equidem tardius ac cautius, si dicere licet, vellem processisset, nam prorsus Latini sermonis usui hanc dictionem repugnare, si „quid" defendere tentem, nihil video. Duae enim exstant explicationes: altera, „quid" hic esse pro „quid est didicisse" id est, „quale seu quantillum, quam parvi pretii"; altera ellipsin statuens, animo supplendum esse docet „iuvat". Utramcunque obtinemus, Graecos Persius hic imitatus esse videtur, apud quos ille usus pronominis relativi creberrimus est (cf. Matthiae grammat. §. 488. p. 1084.). Locos, qui demonstrandi vim habeant, e Latinis scriptoribus afferre quidem non possumus, sed similia, veluti Ovid. art. amat. I, 303.:

„Quid tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere vestes?"

v. 26. Eadem ratione atque v. 21. et hic errans Heinr. „hinc" in textum recipit contra codices, qui habent „en", quod, etsi ex aliqua parte durum (Heinr. p. 83.) neque tam pulchrum videtur quam Terenti et Horati illud: „hinc illae lacrimae!" tamen satis bene explicari potest. „Die Worte sind, ut Passow. (p. 264.) recte annotat, mit bitterer Ironie über des Gefallsüchtlings alberne Entschuldigung gesagt. Aber des Dichters Zorn über das Unwürdige gewinnt auch hier sogleich die Oberhand und ergiesst sich in den folgenden Worten." Eandem, quam hic videmus, ironiam particula „en" indicat in Iuv. sat. II, 72. IX, 50.

v. 32. In „Mp" exstat: „hyacinthina", in „Rom": „iacintina" duplici „h" extruso. Deteriores discrepant inter „iantina, ianthina, amethystina", similes lectiones. Si „hyacinthina" probamus dificultatem tum satis magnam exoriri vv. dd. Passow. et Heinr. iam viderunt. Atque eodem referendum videtur, quod iam inter veteres librarios nonnulli textum genuinum mutarunt. Consulto enim illas emendationes „ianthina et amethystina" factas esse apparet. Difficultas autem in eo consistit, quod hyacinthinus color hoc uno tantum loco vestibus adscribitur. Praeterea Heinr. magnopere dubitat, num, cum Plin. XXI, 22., ubi de vestimentis longius exponit, huius coloris ne mentionem quidem fecerit, hic vestium color apud Romanos omnino in pretio fuerit, contendit potius, crassum pannum hoc colore tinctum in Gallia tunc fabricatum esse, quo nisi ad servorum vestes faciendas Romani non usi sint. Quibus quantum ponderis tribuendum sit, diiudicare non ausim. Satis constat ea aetate, qua elegantia et

